

Titulus, *Allelia*, in hebraicis codicibus ponitur in fine Psalmi praecedentis secundum distinctionem Iudeorum, sed Septuaginta Interpretes posuerunt in principio Psalmi, ut credibile est; se habuisse codices hebraicos tempore Septuaginta Interpretum. Addunt aliqui interpretes ad vocem, *Allelia*, *Aggei*, & *Zacharie*, ut in Psalmo precedente. Argumentum Psalmi est exhortatio ad laudandum Deum, propterea quod Deus sit dignissimus laude ob eius beneficentiam sapientiam, potentiam, prouidentiam, iustitiam, & misericordiam.

EXPLICAT. PSAL. CXLVI.

I. **L**audate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio.

Hortatur Propheta omnes ad laudandum Deum, quoniam laudatio Dei, & nobis utilissima, & Deo gratissima est. Hunc sensum apertius facit litera hebraica, quæ ad verbum sic reddi potest, *Laudate Dominum, quoniam bonum psallere Deo nostro, quoniam iucundum, decora laudatio.* Vbi post, iucundum, subintelligitur, Deo nostro, vt sensus sit, *Laudate Dominum, quoniam bonum est vobis psallere Deo nostro, & iucundum est Deo, quando psallitur, sicut oportet.* Septuaginta Interpretes paulò aliter vetterunt, sed erit idem sensus, si hoc modo exponamus, *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, id est, quoniam nobis utile est psallere Domino: Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio, id est, sed efficite, ut laudatio quam offertis Deo, dum psallitis, sit illi iucunda, verevera erit, si sit etiā decora, id est, qualis decet eius Majestatem, pulchra, ornata, virtutum omnium choro stipata.* Porro bonum nobis esse psallere Deo, dubitari non potest: primo enim mercedem non paruam accipit diuinæ laudatio: nam si is qui orat, mercedem accipit, vt Dominus dicit Matth. 6. cur non magis qui laudat? secundo, eadem laudatio animum à terrenis ad coelestia eleuat: tertio, est prægustatio cœle-

stis beatitudinis, nosque cum Angelis, & beatis coniungit: quarto dulcissima est, cum ex charitate procedit, nihil enim iucundius amanti, quam laudare dilectum: quinto utilis est, quia per eam soluimus debitum tributum. Iustum enim est, ut laudemus bonorum omnium fontem, & gratias agamus summo benefactori. Hinc enim in diuino sacrificio, cum Sacerdos dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro: respondetur, Dignum & iustum est:* & Sacerdos addit, *Verè dignum, & iustum est, æquum, & salutare, &c.* Quod autem iucunda sit Deo decora laudatio, vel ex eo intelligi potest, quod ipse non alia de causa creauit Angelos, & homines, nisi ut essent, qui bonitatem eius cognoscerent, & laudarent. Isai. 43. Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creui eum: neque hæc est ambitio, sed iustitia. Iustus autem Deus est, & iustitiam dilexit, æquitatem vedit vultus eius. Præterea delectatur Deus sacrificio, vt odore gratissimo, & suauissimo: sacrificium autem laudis sacrificiorum præstantissimum est, iuxta illud Psal. 49. Sacrificium laudis honorificabit me. Denique iucunda est Deo decora laudatio, quia delectatur bonis nostris, ac præcipue bonis magnis, quales sunt virtutes: in laudatione autem Dei exercetur Fides, Spes, Charitas, Religio, Deuotio, Humilitas, &c.

Aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit. **IL**

Incipit materiam diuinæ laudis ostendere, vt sciamus, unde Deum laudare possimus. ac primum dicit, *Laudandum esse Deum ex beneficentia erga populum suum:* quasi dicat, *Laudate Dominum, quoniam ipse ædificauit Hierusalem, & ad eam congregabit dispersiones Israelis,* id est, filios Israel in locis variis dispersos. Potest autem hoc intelligi cum Chrysostomo, & Theodoreto de terrena Hierusalem, quæ post euersionem à Nabuchodonosor cœpit iterum ædificari tempore Cyri, & Darii Regum Persarum, & captiuitate soluta